

dubitationibus fluctuent, deletis ex animo opinionibus, quas à pueritiâ imbibent, omnia simul & semel evertere, ut vel alia meliora, vel certè eadem, sed postquam maturæ rationis examen subiissent, admitteret, indeq; putare, cuncta externa nihil aliud esse, quàm ludificationes somniorum, quibus insidias credulitati suæ tetenderit genius quidam, & falsa esse, existimare, quicquid unquam à sensibus hauserit, etiam principia per se nota, & mathematicas demonstrationes, persuadere sibi, nihil esse in mundo, nullum cælum, nullam terram, nullas mentes, nulla corpora, seq; ipsum nec habere manus, nec pedes, nec ullum corpus, imò credere, nihil unquam extitisse eorum, quæ mendax memoria representet, adeoq; & infixam menti suæ veterem opinionem, DEUM esse, rejicere, totumq; hoc de DEO fictitium esse, largiri: sed dum talia cogitet, dubitare planè non posse, quin ipse, quamdiu cogitet, existat; repugnare enim, id quod cogitat, eò ipso tempore, quò cogitet, non existere, aliàs verò fieri etiam facile posse, si cessaret ab omni cogitatione, ut illicò totus esse desineret: quapropter hanc certam & evidentem veritatem; ego cogito, ergo sum; pro primo fundamentò Philosophiæ suæ assumere. Porro cum res præcisè cogitans, & de omnib; aliis dubitans undiquàq; circumspiceret, ut cognitionem suam ulterius extenderet, primò quidem se invenire apud se multarum rerum ideas, quas, quamdiu non contempletur, nihilq; ipsis simile extra se esse, affirmet vel neget, falli non posse; invenire etiam communes quasdam notiones, & ex his varias demonstrationes componere, ad quas quamdiu attendat, omninò sibi persuadere, esse veras; quoniam autem ad illas non semper possit attendere, ac nondum sciat, annon talis natura creata sit, ut fallatur etiam in iis, quæ sibi evidentissima appareant, adhuc de illis dubitare, nec ullam certam scientiam habere posse, priusquam meliorem suæ originis agnoverit. Consideranti igitur ideas suas, unam earum omnium præcipuam, maximè claram & distinctam, Entis nempe summè intelligentis, summè potentis, & summè perfecti, independentis & completi, hoc est DEI, occurrere, in quo proinde existentiam non possibilem & contingentem tantum, quemadmodum in ideis omnium aliarum rerum, quas distinctè perciperet, sed omninò necessariam & æternam agnosceret.

B

sceret.